

Hoch
Die
evictione
in
Donatione
Ed. 2.
1774









7
D. IO. CHRISTOPHORI
KOCH.

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE PROCANCELLAR. ANTECESS. IVR. PRIM.
ET COM. PAL. CAES.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

EVICTIONE IN DONATIONE
NON INDISTINCTE
PRAESTANDA



Editio secunda.

G I S S A E,

apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.

MDCCCXXIV.



D. JOH. CHRISTOPHORI
KOCH

SEITE 1. DER ERSTEN BANDER. A. COGNAC. 1781.
ADAMANTIN. 1781. ANNO. 1781. 1781.
COST. PAUL. 1781.

COGNAC. 1781.

DE
EVANGELIUM IN DONATIONE
NON INDISTINCTE
PRAESTANDA



Christ. Koch

1781

und JOHANNEM LACROIX BRAYN, scilicet. Typogr.
Lipsiae.





§. I.

Gratis dicitur is alteri aliquid praestare, qui alteri aliquid ita praestat, ut nihil recipiat iure perfecto exigendum. Id quod gratis praestatur, gratuitum, ab aliis quoque beneficium nominatur.

SCHOL. Addidi notioni *gratis praestare* characterem *iure perfecto exigendum*, quem desiderabis apud CHRISTIANVM L. B. DE WOLF *a)*, aliosque perspicacissimos iuris naturalis Doctores. Quid enim si remuneratur beneficium is, cui tu antea te beneficium exhibuisti? Nonne aliquid habes, quod non habiturus fuisses, nisi alteri prius aliquid gratis praestitisses? Sufficit itaque hoc, alterum iure minimum perfecto non obligatum esse, ut mihi iterum aliquid praestet. Animum aduertas ad contractus illos, qui in iure romano benefici *s. gratuiti*

A 2

adpel-

a) in iure naturae Tom. III. p. 11. §. 18.



adpellantur, mandati, puta, depositi, commodati & reliqua, in quibus merces damnata, honorarium permiffum.

§. II.

Extra collisionem officiorum nemini secundum naturam ius est alterum cogendi, ut gratis aliquid praestet. Quum enim obligatio ad amplificandas alterius perfectiones non sit nisi imperfecta atque, ut dicere amant, humanitatis; eiusmodi autem officium a renitente extorqueri nequeat: pater, nemini ius esse secundum naturam alterum cogendi, ut ipsi gratis aliquid praestet. Ea autem quum sit collisionis natura, ut ius nobis praebet, id licito peragendi salisque legibus, quae in se iniusta atque iniqua habentur, sequitur, ut vera officiorum collisione existente, in qua officium erga alterum, quem ad gratis praestandum quid cogo, minus est altero cum quo collidit, comite iustitia eiusmodi coactio adhiberi queat.

SCHOL. Ne quis obiiciat mihi, falsum esse in commate positum principium, ea ex causa, quoniam lege civili aut pacto inito ius mihi esse queat, alterum ad gratis praestandum quid compellere, sedulo moneo, me in ea visione rem contemplatum esse, qua nulla existat aut lex civilis aut stipulatio. Quo autem vberimus ex principio corroborato intelligatur in iurisprudentiam, praefertim eam, quae de criminibus agit, fructus redundans, adplicet benevolus lector illud ad ablationem rei alienae in *statu necessitatis vel absolutae vel respectivae* commissam.

Adi



Adi sis quoad totum *Magnifici academiae nostrae Prorectoris IOACHIMI GEORGII DARIES, Viri de omni eruditionis genere immortaliter meriti, Fautoris atque Praeceptoris mei omni veneratione prosequendi, elegantissimas Observationes iuris naturalis pretiosissimum profundissimae eruditionis thesaurum* Vol. 1. Obs. XXI.

Haud necessarium esse duxi, fusius explicare quid sit collisio? quid collisio officiorum? & reliqua. Neminem haec fugient. Si quis tamen sit, quem haec lateant, is euoluat modo, honoris causa nominati *Magnifici Viri Institutiones iurisprudentiae vniuersalis.*

§. III.

Paſtum legitimum de re alteri gratis tradenda dicitur *donatio*. Sumo vocabulum *rei* in eo ambitu, quo eo vtuntur Icti, iuxta quem & res incorporales complectitur. *Donatio* iure Longobardico & veteribus Germanorum legibus vocatur *thinx*, *garathinx*, a germanico vocabulo *thing*, *ding* quod iudicium denotat, vti multiplicia exempla probant, quae adduxit *ill. Vir HENRICVS BROKES b)* & plenius *Vir perematurae memoriae*, cuius praematuram mortem posterius quoque lugebunt IO. RVDOLPH. ENGAV *c)*. *Donatio* enim apud acta aut in praesentia testium, qui *Gisiles*, *geisfel*, nuncupantur, fieri debebat *d)*. Quod & CONSTAN-

A 3

TINVM

b) in *diff. de veterum Dingewinde.*

c) in *progr. ad excit. differr. in quo agit de pace iudiciali v. Dingefriede.*

d) *LL. Longobardorum* lib. 11. tit.

15. *LL. Wisigothorum* lib. 5. tit. 4. §. 8. *LL. Burgundiorum* tit. 43. vide sis CAROLVM DV FRESNE in *glossario* sub vocibus *thingare*, *thinx*, & GEORGIVM ECCARDVM ad *leg. Sal.* tit. XLVII. §. 1. p. 87.



TIVVM *imperatorem* sanxisse discimus ex l. 3. C. Th. de donat. At varias mutationes subiit haec res, de quibus consulas IOANNEM SCHILTERVM *). Is qui donat *donator* audit; ille cui donatur, *donatarius* & in diplomate Henrici VI. apud CAROLVM DV FRESNE e) *donatorius*. Id quod gratis praestatur dicitur *donum*, a graeco δῶρον quod palmam s. manum apertam denotat f). Sunt qui dona solum ea interpretantur, quae Diis offerebantur a Romanis g). Sed refutat eos PAPINIANVS h).

Donari, inquit, videtur, quod nullo iure cogente conceditur, & MARCIANVS i):

Dona, scribens, proprie sunt, quae nulla necessitate iuris & officii, sed sponte praestantur & si praestentur plerumque laus inest.

Differt a dono *munus*. VLPNIANVS k).


Inter munus & donum hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse donum, Labeo a donando dictum, munus speciem, nam munus esse donum cum causa utputa natalitium, nuptialitium.

Subscripsit huic MARCIANVS l):

Munus, inquit, est, quod necessario obimus, lege, more, imperioe eius, qui iubendi habet potestatem.

Sic

- | | |
|--|------------------------|
| *) in Exercit. ad Pand. tit. de donat. | Act. v. Sc. 9. v. 9. |
| e) cit. libro. voce donatorius. | h) l. 29. π. de donat. |
| f) PLINIUS XXX. 14. | i) l. 214. π. de V. S. |
| g) NONIVS C. XII. n. 32. DONATVS ad TERENCE. Eunuch. | k) l. 194. π. de V. S. |
| | l) l. 214. cod. |



Sic e. g. munus dixit TERENTIUS *m*), quod serui dominae, quae partum enixa, offerre solebant,

Porro autem Geta

Ferietur alio *Munere*, ubi hera pepererit.
aut quum herus minor duxerit vxorem *n*).

Nam herilem filium eius duxisse audio

Vxorem, ei, credo, *Munus* hoc corraditur.

Sunt quidem aliqui, donum ac munus ita distingentes, vt illud dantis, hoc accipientis intuitu dicatur, illudque vt a donando, ita hoc a muniendo s. mouendo deriuant, quod fecisse AGRAETIVM intelligo ex DIONYSIO GOTHOFREDO *o*). Sed aequae errant ac *ii*, qui dona Diis, munera hominibus offerri dicunt. Vel enim solus OVIDIVS *p*) eos contrarium docere potuisset, canens:

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque,
Placatur *donis*, Iupiter ipse datis.

Vfus tamen loquendi nec inter haec vocabula semper accurate distinguere solet, sed promiscue iis vtimur. Differt denique proprie *donum* a *praemio*, quod in compensationem bene meritorum datur *q*). Sic praemium datur puero, qui in examine optime stetit, aut militi egregia facinora perpetranti. Sic VIRGILIUS *r*):

Proti-

m) PHORM. *act.* I. Sc. I. v. 12.

o) *vet. Grammat.* p. 1348.

p) *de arte amandi* lib. III. v. 653.

n) IDEM *exciz. loc.* v. 4. sq. adde

sq.

MARTIALEM *Epigr.* VIII. 33.


q) DONATVS ad TERENT.

v. II. *Epigr.* XIII. 27. IOSEPHVM

l. c.

SCALIGERVM ad *Tibullum* lib. I.

r) *Aen.* V. 485. sq.



Protinus Aeneas celeri certare sagitta
Inuitat, qui forte velint, & praemia ponit.

COR. I. Donatio itaque est pactum vnilaterale. Donatarius enim nil vicissim praestat. Hinc HORATIVS lib. II. Sat. 3. v. 171. donare vocat perdere, canendo:

- - - Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare & perdere vidi.

COR. II. Nemo regulariter ad donandum potest compelli (§. 2.). Hoc etiam est, quod adferunt leges, quodque stabiliunt Doctores. Vide modo l. 29. π. de donat. Imo Interpretes, donationem inter viuos definituri, expresse requirunt, vt fieri debeat nullo iure cogente. Euolue commentatores ad tit. Inst. & π. de donat. & varia de hac materia extantia scripta. Quod licet verum sit, nulla tamen necessitas nos vrget, vt definitioni inferatur. Id enim quod gratis promittitur, datur nullo iure cogente. Consequitur ita ex notione. Id autem, quod ex characteribus in definitione positus propullulat, definitionem ipsam ingredi non debet. Sed telum video. Obiicis donationem propter nuptias s. *αντιφρονην*, quam iure cogente faciendam esse dices, ob l. 7. C. de dot. promissione, Nou. 119. c. 1. Sed salua res est. Vocabula non sunt captanda, res est inspicienda. *Αντιφρονην* enim, vt ipse IUSTINIANVS distincte fatetur, & diuini ingenii ICtus AVGVSTINVS DE LEYSER ingenue adgnouit in Medit. ad Pand. Vol. VI. Sp. ccccxxxv. med. xii., improprie donatio salutatur. Partim quia maritus inuitus ad eam potest compelli. Partim quia eum in finem datur, vt vxor dotis intuitu securior reddatur. Indequo est, quod soluto



Iurō matrimonio, & restituta dote, *αυτιθέσων*, pacto deficiente, ad maritum eiusue heredes redeat. AVGVSTINVS DE LEYSER Sp. CCCXVII. de vxore dotem repetente med. IX. WOLFGANG. ADAM. LAVTERBACH. in diff. de donatione propter nuptias §. 59. Quibus IVSTINIANVS quoque commorus in excitata Nouella 119. c. 1. expresse vetuit, eam donationibus connumerari, atque speciale & diuersum a donatione negotium esse & sponsalitiā largitatem adpellari iussit. conf. RAVE diff. de donat. propter nuptias.


COR. III. Donatio est pactum. Sed ab existentia pacti ad existentiam promissionis illiusque acceptationis legitime factae valide posse concludi, dupondioli etiam sciunt. Hic mutuus consensus vel distinctis verbis vel factis aptis exprimi potest atque declarari. Dormitavit proinde & humani quid passus est magnus alioquin inter ICTOS HOMERUS IOANNES PETRVS DE LVDEWIG, statuens in Diff. de donatione eiusque barbaro adnexu, acceptatione, nulla in donatione opus esse acceptatione, quod tamen refutauit NICOLAUS HIERONYMVS GVNDLINGIVS in Gundlingianis.

Duplici itaque forma fieri potest donatio, puta vel expresse vel tacite mentem declarando. Is, qui alteri donare aliquid vult statimque tradit tacite animum donandi declarat, & dum alter in eo est, vt accipiat rem sibi statim traditam, tacite promissionem gratuitam acceptat. Quo in casu CHRISTIANVS L. B. DE WOLFE. exciit. supra libro §. 61. sqq. *donationem* proprie vocat, quam ideo actum esse ait, qui in praesens absoluitur.

Si autem ita contingit vt promittam solum aliquid gratis, subito non accedente traditione, *promissio* ei

B

dici-




dicitur *donationis*. Sed nihil re ipsa nos iuuat haec distinctio. Nec vsitata est inter ICros.


SCHOL. Dixi donationem esse pactum idque legitimum. Quod iis videbitur falsum imo & falsissimum, quibus in ipsis legibus Codicis donationem contractus nomine venire, notum erit atque perspectum, vide modo l. 17. C. de fide instrument. l. 8. C. de praescript. 30. vel 40. annorum.

Sed licet haec ita esse concedam, respondebo tamen, & salua erit definitio. Duo antea mihi monenda esse video. Primum sit; disputationem iam esse de iure positivo & quidem romano, non de naturali aut germanico, quorum vtrumque distinctionem inter contractus & pactum, huiusque species ignorat.

Secundo loco obseruo, donationis vocabulum varie accipi solitum esse. Intelligitur enim 1) de re ipsa donata; 2) Sumitur pro modo acquirendi, quod & fecerunt ii Viri, quos IUSTINIANVS conficiendis Institutionibus praefecit, sequuti hac in re CAIVM, cuius aetate donatio omnino inter modos acquirendi domini iuris ciuillis numeranda erat, quoniam statim tradenda fuit res donata. Si egregia placent, legas ea, quae docte, vt solet, explicauit incomparabilis IOSEPHVS AVERANIVS in *interpret. iuris* lib. I. c. 29. 3) Pro pacto. Et sic nos etiam vocabulo donationis vtimur. Fas mihi nunc sit, ad meliorem intellectum, primas lineas doctrinae de contractibus & pactis ex iure Romano ducere, licet enim multa ea de re scripta sint, aut displicent quaedam, aut obscura sunt. Scriptum reliquit



quit DIONYSIVS HALICARNASSEVS lib. 4. antiq. roman. de SERVIO TVLLIO rege Romanorum, *Leges*, dicens, *de contractibus & iniuriis tulit, quas curiatis comitiis ratas fecit, erant numero quinquaginta, quarum mentionem facere iam non est opus.* Sed si eas memoriae prodidisset, plenius quaedam intelligeremus. Adparet tamen minimum id ex hoc loco, certis conuentionibus fuisse tributam obligationem ciuilem. Illas TVLLII leges deinde in XII. tabulas translatas esse admodum probabile videtur, atque contractus e rudibus & paruis initiis, fori disputatione & vsu iuris ciuilis longo tempore perductos esse, ad illam, quae in iure romano obuia est, formam. Sciendum enim, Romanos sapienter sane non vniciuique conuentioni dedisse obligationem ciuilem, sed illi solum, cui suberat caussa ciuilis siue negotium antiquitus adprobatum communibus iuris ciuilis regulis. Hi enim, qui ius ciuile condiderunt primis temporibus, noluerunt ciues suos sine caussa obligari, conuentionibusque quibuscunque ad vitae ministeria inutilibus, sed demum conuentionibus ad iuuanda vitae commoda pertinentibus, easque conuentiones publice receptas adprobatasque dixere contractus. Adposite SEXTVS CAECILIVS apud AVLLVM GELLIVM Noct. attic. lib. 20. c. 1. ait, *fidem maiores nostri in negotiorum contractibus sanxerunt*, significans, romanos fidem non sanxisse in conuentionibus qualibus qualibus, vt ius naturae, sed in conuentionibus ad vitae vsum iure ciuili adprobatibus i. e. contractibus. Non tamen existimandum est, veteres iniquum putasse, etiam alias custodiri pacti fidem, sed quod respicientes ad suorum ciuium conditionem, nolent videri pacta, quibus non subesset negotium ad




vitae necessitatem publice receptum, vel forma in lege ciuili praescripta, adhibita. Eiusmodi autem negotia & formam reip. definienda reliquerunt. Naturae enim putarunt conuenire, rempublicam cauere, ne homines egregie leues aut minus faciles, quibuscunque promissionibus temere caperentur. Igitur quid est contractus? Redeamus in viam. Fingas *conventionem*. Huic

- I. vel inest tale quid, causam id adpellant, quod iure ciuili adprobatum est atque idoneum, vt licet non sit adiutum speciali lege vel adminiculatum, obligatio tamen ciuilis ex eo proueniat vel non. Priori in casu conuentio illa erat *contractus*, qui itaque est conuentio cui subest causa ciuilis i. e. forma vel negotium iure ciuili adprobatum, vt per se & sua natura producat obligationem, licet nulla lex specialis adminiculetur.

Id certum nunc, quod causam adpellant, quodque essentiam contractus ita ingreditur, vt eo saluo abesse nequeat vel

- a) latet in certa formula cuiusque regulariter negotio applicari idonea, iure ciuili inuenta eiusque propria & iure gentium plane incognita, ex qua obligatio deducebatur l. 115. pr. *π.* de V. O. l. 126. *π.* eod., & in quibus solum spectamus id, quod lingua nuncupatum est, nec ab eorum verbis recedimus; qui *contractus* dicuntur *iuris ciuilis*, *legitimae conuentiones* & *stricti iuris*; iterumque duplicis generis sunt, prout verba illa sollempnia, quae formulam constituebant, ore nuncupabantur vel in scripturam redacta erant. Ad prioris generis contractus *stricti iuris* pertinet *dotis dictio*, *promissio operarum a libertis facta*



facta firmataque iurando & stipulatio, sola in vsu retenta, quae omnes gignunt contractus verbales. Differentiam stipulationis a contractu verbali, quae alios fugit, eleganter enucleatam reperies in aureo *iurisprudentiae positiuae systemate* P. I. T. II. §. 369. *Viri ill. atque Exc. iurisprudentiae commodis promouendis nati DANIELIS NETTELBLADT.* Posterioris generis contractuum stricti iuris vnicus est, *nominum nempe contractus*, qui producit *litterarum obligationem.* Vel


b) in ipso negotio s. conuentionis obiecto, quae negotia, quum sine illis rempublicam stare non posse felicem atque fortunatam sentirent, ex solo consensu, placitis iuris aeterni conuenienter, obligationem secum habebant connexam. Quae enim quaelo resp., quae ciuitas, inconcussa manere poterit, si emtionum venditionum, locationum conductionum, mandatorum atque societatum conuentionibus omnem demis atque tollis vim efficaciamque? Ridiculum etiam sane fuisset, disponere vt emens, locans &c. verba sollemnia atque formulam in ore haberet. Eiusmodi itaque conuentiones, in quibus obligationis caussa erat ipsum conuentionis, legibus sadprobatum, obiectum, quorum erant ab initio quatuor, emphyteusi nempe primis temporibus ignota, quaeque ex solo consensu obligabant, dicebantur *contractus consensuales.* Vel

c) in datione aut facti praestatione ab vno pacifcente in pacto bilaterali profecta. Si enim pacti eramus, atque vnus e nobis pactum a sua parte implemento corroborauerat, natura videbatur efflagitare, huic aduersus alterum actionem concedi. Respondit CELSO ARISTO in l. 7. pr. §. 1. & 2. π. de pactis *dedi tibi rem, vt mibi*



aliam daves, dedi, vt aliquid facias, hoc συναλλαγμα, i. e. contractum esse, & hinc nasci ciuilem obligationem. Eiusmodi itaque conuentiones, quarum caussa s. fons obligationis erat collocatus in solutione pacti ab vna parte facta, nominabantur *reales contractus*. Praestatio itaque pacti ab vno pacifcente suscepta modus erat vniuersalis, pactum ab initio non obligatorium, ciuilitur validum reddere atque in formam contractus redigere. Quumque contractus consensuales & reales aliquam retinere iuris gentium simplicitatem videbantur, *iuris gentium contractus* & *bonae fidei* nuncupabantur. Rumpam filum, desistam plura obseruare de variis contractuum diuisionibus. Dicta ad scopum sufficiant. Oratio enim mea longius, quam constitueram, exspatiatur. Coercebo eam itaque, breuiterque peragam, quod dicendum nunc restat. Loquamur de pactis.

Vel II. obuia conuentioni non inest tale quid, quod iure ciuili *generatim* ad obligationem producendam esset qualificatum, & huiusmodi *conuentio* dicebatur *nuda* seu *pactum*. Pactum itaque est conuentio sine caussa. Sed nunc huic pacto, licet in se & sua natura non stringeret ciuilitur, extrinsecus adhuc accedebat in republica vis atque efficacia, vel ne hoc quidem. Si prius, habebis pactum *non nudum* seu *vestitum*; si posterius, erit *nudum*, cui Praetoris edictum ex aequitate vim exceptionis non actionem largiebatur. *Pacta* autem *non nuda* seu *vestita* iterum tripliciter dispescuntur. Id enim quod *pacto vestito* omnimodam obligationem tribuit vel est lex ciuilis specialis noua, aut SCtum, vel Praetoris edictum, vel adiectio contractui in continenti facta. Si istud pactum *vestitum* nuncupatur *legitimum*; si illud *praetorium*; si hoc



hoc *adiectum*. Posito itaque pacto legitimo, ponenda est lex specialis civilis noua aut SCRUM, huic pacto determinate vim tribuens atque efficaciam in republica. Posito pacto praetorio ponendum est edictum Praetoris huic pacto specialiter actionem largiens. Posito pacto adiecto, ponendum est pactum connexum cum contractu. Et hoc vltimum prout vel adiectum est contractui bonae fidei vel stricti iuris, sub variis distinctionum formis efficax est atque validum, de qua grauissima & multis dubiis obnoxia re consulas, me iudice, post GALVANVM & VINNIVM *Virum acutissimum Belgii decus atque ornamentum* GERARDVM NOODT in *comment. de pactis & transactionibus*, quae inserta est operum eius Tom. II. Cuius elegantissimi atque humanissimi ICti obseruationibus me multum debere ingenue profiteor. Iudices nunc, & dicas quid sit donatio? contractus? aut pactum vestitum? & tunc an legitimum? aut praetorium? aut adiectum? aut quid aliud? Videamus an sit contractus? Res ipsa docet, neque consensualem esse potuisse neque realem. Remanent itaque contractus verbales & litterales. Contractui litterali aduersa erat donationis natura. Ergo quid superest? contractus verbalis. Et de hoc dispiciamus. Dixi iam stipulationem fuisse modum generalem quoduis promissum civiliter obligatorium efficere, ideoque & donationem. Ergone, inquis, donatio esse potest contractus verbalis? Sed ne sic quidem. Distinguas modo inter donationem in se spectatam & cum stipulatione coniunctam. Stipulatio constituebat contractum verbalem, non id, quod in stipulatione continebatur, nempe donatio. Si enim tibi stipulando s. verbis sollempnibus formulae ore nuncupata gratis aliquid dare promiseram, hoc negotium non dona-



donatio adpellabatur, sed stipulatio s. melius contractus verbalis, & id quod promissum erat, petebatur actione ex stipulatu pr. I. de V. O. Hoc enim in casu obligatio profuebat ex formula, eaque constituebat contractum. Quid itaque est? Dicam. Est pactum vestitum eaque inter legitimum. Sed postulabis legem ciuilem nouam, pactum donationis confirmantem. Ostendam. Non tamen animus mihi iam est, varias quae circa donationem se exceperunt leges, in quibus varia diuersimode circa ius, formam, & effectum sunt sancita, enarrare, quarum legum successionem legere poteris apud IOANNEM GOTTLIEB HEINECCIUM in *praefat.* ad VINNII *Comment. ad Inst.* IO. PETRYM DE LVDEWIG in *supra excit. dissertatione*, & FRIDERICVM BRUMMERVM in *Comment. ad Legem Cinciam*. Hoc tantum dicam, licet constitutione D. PII, cuius mentio fit in l. 4. C. Th. de donat. inualuerit, vt inter personas coniunctas donatio valeret, quibuscunque verbis facta, etiamsi nulla intercessisset mancipatio, PAVLLVS recept. Sent. IV. I. II. & V. II. 4. plenissimum tamen robur pacto donationis nudo contigisse ex IVSTINIANI Imp. dispositione in l. 35. §. 6. C. de donat. Qua lege necessitatem traditionis aut stipulationis remisit, atque ex *nudo pacto* legitimum confecit, ex eoque donatae rei persecutionem concessit. Quod nunc adinet ad excitatas supra Codicis leges, quae pactum donationis contractibus adnumerare videntur, norandum est, in legibus Codicis terminorum technicorum propriam & natiuam significationem esse neglectam. Iis enim temporibus omnis conuentio, quae actionem producebat, dici consuevit *contractus*, & si ita sumis contractus vocabulum, recte dicis pactum donationis



tionis esse contractum, sed si Icti ex arte loquuntur,
propriis terminorum significationibus vtuntur sedulo.
Ex his sequentem me posse inferre propositionem arbi-
tror. Donatio ante IVSTINIANI tempora in extraneos
& ante D. PII in quoscunque facta valida haud fuit,
nisi traditione statim aut stipulatione accedente l. 33. π.
de donat. inter V. & V.

§. IV.

Is, in quem rem meam gratis transfero vel antea
mihī beneficia praestitit vel non. Si hoc donatio di-
citur *simplex*, si illud, *remuneratoria*. Per beneficia
intelligo talia facta, quae in foro externo actionem
ad remunerandum haud produciunt. Ideoque nul-
lam quoad euictionis praestationem inter simplicem
& remuneratoriam donationem deprehendo. Scio ta-
men plurimos Ictos sub beneficiis illis intelligere ta-
lia facta, quibus nulla certa merces ab initio est con-
stituta, ob quae tamen honorarium, vt adpellant,
iure potest postulari. Sed si aliquid datur pro eius-
modi beneficiis, quae improprie ita vocantur, non
meretur donatio vocari. Et hoc non animaduerte-
runt ii Icti, qui magno feruore, magnoque strepi-
tu digladiati sunt, vtum in donatione remunerato-
ria praestanda sit euictio? his adfirmantibus, illis ne-
gantibus. Accidit & his Ictis, quod saepissime vsu
venire solet, vt Andabatarum more pugnent, logo-
machiam committant, nec antea accuratam mentis
C expli-




explicationem exhibeant. Notum est enim artibus liberalibus indignam visam fuisse mercedem, honorarium decorum. Id nunc, quod honorarii loco dabatur, quodque actione peti poterat, in legibus dicitur donatio remuneratoria s). Sed nemo ambiget confiteri, euictionem omnino, quatenus id, quod datum, officiis praestitis erat aequale, esse praestandam. Sed non immorabor his diutius. Ad id potius pedem mouebo, quod caput rei esse sentio.


§. V.

Si in alterum aliquid gratis transferre me velle promitto, vel certum indiuiduum, (speciem dicunt Romani) statim determinatum gratis transferendum stipulor, vel in genere ad quid alteri gratis praestandum me obligo. Si prius, doctrinae gratia, *donationem speciei*; si posterius vel determino, adhuc certum quendam indiuiduorum plurium complexum, (vniuersitatem, quantitatem) ex quo praecise rem generaliter promissam gratis praestare velim tantum esse obligatus, vel simpliciter & sine eiusmodi certae quantitatis adiectione. Si illud, *donationem mixtam*; si hoc *donationem generis* adpellabimus. Ex quo, quid sit donator generis? quid donator speciei? quid donator mixtum talis? quid donatarius generis? quid dona-

s) l. 27. n. de donat.




donatarius speciei? quid donatarius mixtim talis? facile est ad intelligendum. Sic foret donatio speciei, si diceret forte donator: *ich will dir diesen silbernen Loeffel, mein schwarzes Reitpferd schencken, vti & tunc: ich will dir des Iustinians Institutiones, welche ich in meiner Bibliothek habe, schencken.* Licet enim in genere quid promississe videtur, statim tamen & in continenti declaravit mentem, quale individuum praestare velit. E contra autem donatio generis esset dicenda, si pronunciarer donator: *ich will dir wenn du Doctor wirst, des Meermanns, thesaurum schencken, non dicit, diesen thesaurum des Meermanns, oder welchen ich in meiner Bibliothek habe; ich will dir einen silbernen Loeffel der VIII. Reichsthaler werth ist, schencken.* Foret autem donatio mixta, si ita mentem exprimeret donator: *ich will dir einen Bock aus dieser Heerde schencken: ich will dir einen von MEINEN Knechten schencken, & sic perro.* Nec est, quod obiiciat quis mihi erium illud, vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: nec est, quod metuum crimen nouationis, quum nemo ante me hac distinctione vsus sit. Satius enim esse puto, si distinctio, licet sit noua, ex ipsa rei natura, & quod amplius est, ex analogia iuris potest deduci atque comprobari. Primum quod adinet, vnusquisque iustus rerum arbiter lubentissime & vel inuitus mihi concedet, quod tam certum individuum ab initio, quam res



quaedam in genere, tam adiecta quantitate vnde res promissa sumenda sit, quam ea non adiecta, queat promitti, ideoque & donari. Experientiam testem prouoco. Alterum lucem accipit ex doctrina de legato generis, speciei & optionis vel electionis, in qua Icti Romani eadem distinctione vsi fuerunt, & forte, ne dicam iam certe, vti inferius probabo, iidem Icti in materia donationis sic distincturi fuissent, si hoc peculiaris circa donationem comprobata principia admisissent. Sed inquis credo, ergo omnis donatio est speciei. Semper enim indiuiduum quoddam s. vt cum Ictis loquar, species quaedam tradenda est. Sed respondeo ad haec. Ad initium promissionis spectandum est, vtrum nempe certum indiuiduum ab initio promissum sit, an res quaedam in genere. Et res salua erit. Hoc enim & in legato generis vsu venit, & nihilominus tamen legatum generis a nemine, quod ego quidem memini, tanquam incongruum reiectum est. Deinde & hoc verum est, apud Romanos olim plerumque fuisse quamcunque donationem speciei, quoniam a traditione initium frequentissime capiebat.

COR. Concludo inde in donatione speciei id certum determinatum indiuiduum esse in *obligatione*. *Id enim in obligatione esse dicitur* Ictis, quod *prae*standum est. Id autem, quod donator generis deinde tradit, non fuit in obligatione, sed tantum in *solutione*. *Id enim in solutione esse dicitur*, quod quidem ad liberan-



randam obligationem tradi potest, sed non *praecise* tradendum fuit. Id autem indiuiduum, quod ex designata quantitate specifica tradidit donator mixtim talis fuit partim in *solutione*, partim in *obligatione*. Fuit in obligatione, quoad vniuersam quantitarem, ex hac enim demonstrata quantitate praecise vnum tradendum fuit. Fuit e contra in solutione, quatenus hoc indiuiduum spectatur. Hoc enim *praecise* tradendum non fuit, sed aequae aliud ex illa vniuersitate dari potuisset. Amplissimi vsus haec principia erunt, vti inferius patebit.

§. VI.

Donator speciei statim determinat indiuiduum illud, quod in donatarium gratis transferre promittit (§. 5.). Sed quum nemo plus iuris in alterum gratis transferre velle credendus sit, quam bona fide sibi credit competere, & praeterea id tantum acceptare potuerit donatarius, quod donator promissit, sequitur in donatione speciei eam putandam fuisse donatoris mentem, vt si quod ius in rem specialem hanc ipsi competat, id donatarius habeat, ideoque, se velle ad ius tantum illud, quod ipsi in rem designatam competere credit, praestandum esse obligatum. Et ita si forte dominus eius rei putatius fuerit solummodo, nihil praeterea se esse praestiturum. Hoc enim satis declarauit, dum ad hanc specificam rem gratuitam suam promissionem restrinxit. Hoc enim indiuiduum tantum deductum est



in obligationem. Eadem & Romanis placuerunt, eadem cogitarunt in stipulatione certi speciei & in legato speciei t).

§. VII.

Donator generis se obligat ad rem quandam in genere, non exprimens ex quo complexu indiuiduorum, in suum donatarii transferendam (§. 5.). Ergo obligatio eius neque ad certum quoddam indiuiduum, neque ad certam quantitatem adstricta est praecise, sed indiuiduum illud, quod deinde tradit, plene est in solutione tantum. (Cor. ad §. 5.). Obligatio itaque donatoris generis haec est, vt tradat vere rem promissam i. e. vt donatario eam habere liceat. Solutio enim efficax non est, s. quod in idem redit, non producit liberationem ab obligatione pactitia, si effectum plenarium non sortitur. Iterum hoc innuunt leges romanae. Audias LABEONEM u):

Si heres tibi, seruo generaliter legato, Stichum tradiderit, isque a te euictus fuisset, posse te ex testamento agere, Labeo scribit, QVIA NON VIDETVR HERES DEDISSE, QVOD ITA DEDERAT, VT HABERE NON POSSIS, & hoc verum puto.

§. VIII.

Donator mixtim talis se obligat ad rem quandam ex

r) l. 45. §. 2. n. de legat. t. l. 108. u) in l. 29. §. 3. n. de legat. 3. §. 4. eod.

ex certo quodam designato indiuiduorum complexu gratis transferendam (§. 5.). Animum itaque eius hunc fuisse debemus arbitrari, se velle alteri ex determinata quantitate vnum praestare gratis, in quod sibi ius sit. Ergo obligatio eius in eo consistit, vt tradat rem, quam habere licet donatario, sed tantum ex illa denominata quantitate. Si itaque tradidit rem quandam ex designata quantitate, quae tamen aliena fuit, non consumta est obligatio, siquidem, vt fingo, alia adhuc dictae quantitatatis indiuidua supersunt, in quae donatori ius est. Res enim illa tradita hoc respectu est in solutione (Cor. ad §. 5.). Solutio autem efficax non est, nisi id contineat, quod est in obligatione. Nunc autem donator mixtum talis adstrictus est, rem quandam vere dare, nullum enim indiuiduum nominatim promisit, sed tamen ex determinata tantum quantitate, quippe quae in obligationem est deducta, & conditionem facit. Hoc enim satis superque declarat, per adiectam, ex qua praestare vellet, quantitatem certam. Si itaque tota vniuersitas aliena est, concidit sua obligatio, ad hanc vniuersitatem restricta. Participat itaque donatio mixta partim a natura donationis generis, partim a natura donationis speciei. Et hoc in causa est, cur eam mixtam denominauerim, regulis terminologiae iuridicae, vt puto, conuenienter. Conuenit donatio mixta cum generis donatione, intuitu indiuidui praestandi. Respondet autem donationi spe-



speciei, intuitu totius certae illius quantitatis, ultra eam enim non obligatur. Adiecta itaque intelligitur quantitas s. vniuersitas donationi mixtae, *taxationis causa*. Euolue hoc breuiter explicantem humanissimum ICtum IO. GOTTL. HEINECCIUM x), & vberius, magno eruditionis adparatu, haec disputantem elegantissimum Pisanae academiae Antecessorem IOSEPHVM AVERANIVM y), qui egregia dabit. Hoc enim a me dici, elegantissima humanissimi ICti obseruatio meretur. Satis haec, quae a me dicta sunt, comprobant leges romanae. Vide l. II. §. 2. l. XIV. π. de opt. vel. elect. leg. l. v. π. de trit. vin. ol. leg. l. VIII. §. 2. π. de legat. 2. l. LXV. pr. π. de legat. I. His praemissis conuertamus nos ad euictionis naturam ex primis altissimisque iurisprudentiae principiis hauriendam. Sit faustum fortunatumque.

§. IX.

Euictio, die Entwaehrschafft, est ablatio rei ab alio animo sibi eam habendi possessae auctore iudice facta. Is, qui euincit, dicitur *euincens*.

SCHOL. Omittunt alii verba, *animo sibi eam habendi*.

Sed adieci haec verba perspicuitatis causa, non dicam necessitatis ergo. Falsae enim praeter ICtorum mentem exinde deduci possent conclusiones. Deleui autem verba, quae addi solent, *seruato iuris ordine & ob*
ius

x) in elem. iuris civilis sec. ord. y) in *interpret. iuris* lib. 2. c. 27. Inst. §. 611. *



ius alterius potius. Haec enim ex eo patent, quod fieri debeat auctore iudice. Hunc autem iuris ordinem seruare, & nemini sine iure alterius potiori quid auferre oportet, quoniam haec negligens nihil agit nulliterque.

§. X.

Resarcitio damni, quod is, qui possedit rem ex euictione perpeffus est, dicitur *euictionis praestatio*, die *Gewaebrsleistung*, & in antiquis Germanorum tabulis *Warantia*, *Warandia*, *Warandisia*, *Waranda*, *Warandisatio*, *Warantizatio*, *Warendatio*, *Guarandia*, *Guarantia*. *Euictionem praestare* dicunt germanicae leges *Warandisare*, *Warentisare*, *Warentizare*, *Warentare*, *Guarentisare*, *Guarentare*, a Saxonico primitiuo *war*, quod telum denotat, iaculum, defensionem, protectionem, non a *creantare*, vt putat CAROLVS DV FRESNE. Hinc patria lingua *wahren*, pro custodire, defendere, vsurpamus. Is qui euictionem praestare debet iure Romanorum *auctor* dicitur, germanice *ein Waehrmann*, *ein Gewaebrsmann*, iure veteri Germanorum, *Warens*, *Warrantus*, *Warendator*, *Warandator*, *Guarandizator*, *Guarantor*. HENRICVS SPELMANNVS z) CAROLVS DV FRESNE a) & FRANCISCVS HOTOMANNVS b).

D

§. XI.

z) in Glossario archaiologico diae & infimae latinit. edit. Paris. edit. Londin. b) in commentario de verbis feudilibus.

a) in Glossario ad scriptores me-



§. XI.

Is, qui euictionem praestat, damnum refarcit alteri ob euictionem contingens (§. 10.). Ergo vel omne damnum, pretium scil. rei euictae, aut aliam rem substituendo simul cum eo, quod interest, quo & pertinent sumtus litis *d*), vel non. Si prius *euictionis praestationem* nominabimus *plenam*; sin hoc, *minus plenam*. Haec duplici iterum forma contingere potest. Vel enim auctor solum rei euictae aestimationem praestat aut aliam rem substituit, vel solum damna, quae ex euictione emerferunt cetera, vt sumtus litis, impensas in rem euictam factas, quasque ab euicente non potuit seruare, quae omnia sub *utilitatis* nomine in iure romano comprehenduntur, refundit. Priori casu nominabimus doctrinae gratia euictionis praestationem *minus plenam ratione interesse*; posteriori *minus plenam ratione rei euictae*. Veritatem dictorum in sequentibus §§. exemplis probabo. Nec Icti haec negare poterunt. Ipsae leges haec a se sedulo inuicem distinguunt, vt suo tempore latius atque diffusius sumus exposituri. Termini quidem noui sunt, at res antiqua. Perspicuitatis causa omnia licent, modo errorem non gignant nec cum rei natura pugnent. Adi sis VLPPIANVM in l. XI. §. fin. π. de act. emt. vend. conf. G. L. BOEHMERI Praefat. ad T. IV. Exercit. ad Pand.

COR. I.

d) l. 9. C. de euict.




COR. I. Is itaque praestat euictionem plenam, qui tam rei euictae aestimationem praestat aut aliam rem substituit, quam damna cetera refarcit.

COR. II. Is euictionem minus plenam ratione interesse praestat, qui solum aliam rem aut eius aestimationem praestat.

COR. III. Is euictionem minus plenam ratione rei praestat, qui solum damna cetera refarcit, non autem aliam rem substituit, aut eiusdem aestimationem praestat.

SCHOL. In ea quidem est haeresi FRANCISCVS ALEF in diss. cuius inscriptio haec est; *Veritas communis opinionis circa pactum de non praestanda euictione contra nouissimos BOEHMERI errores HEIDELBERGAE 1736.*, qua credit, euictionis praestimationem solum pretium continere. Sed refutant eum leges, refutat & eum amice conspirans ICTorum schola. Mire hallucinatur is, qui in genere euictionis praestimationem, pretii solum restitutionem vult nominare. Deinde in mentem mihi venit delicatior illa nec inter ICTos transacta quaestio, ad quodnam tempus, rei euictae aestimationis computandae ergo, respiciendum sit? vtrumne ad tempus contractus? an ad tempus euictionis factae? Tam late patet haec res, vt peculiaris ipsi accommodanda videatur opera, principalis disquisitio. Nec adinet, id curatius a me aperiri. In hoc enim omnis iam mea vertitur disputatio, vt generatim probem, in donatione euictionis praestimationem non omnino exfulare. Ea itaque, quae commode omitti posse, aut sine vasto circuitu a me distincte proponi non



posse fensī, neglexi in hoc scripto, aptiori loco & tempore ea explicaturus. Euoluas interim de hac re V. cl. FRANCISCI GVILIELMI ROMANI progr. quo sollemnia inauguralia Conf. D. WIESENHAVERN indiceret dissert. inaugurali subiunctum, & V C. IO. TOB. RICHTERI diff. de *pacto euictionis non praestandae inutili* §. 4. ceterosque de euictionibus scriptores.

§. XII.

His nunc praemissis videamus, quod nam sit fundamentum euictionis praestationis. Hoc enim si non curamus, frustra disputatio nostra erit. Egrege lapsi sunt Icti nulla alia ex causa, quam quod neglexerint, principium aliquod vniuersale adstruere, ex quo singulares quaestiones eo faciliori opera potuissent decidere. Videas modo FRANCISCVM BALDVINVM, IO. ANT. MANGILIVM, CASPAREM CABALLINVM, CHRIST. WAECHTLERVM, HVGONEM DONELLVM, IACOBVM MAESTERTIVM, NICOLAVM BVRGVNDVM & GEORGIVM FRANZKIVM celebratissimos & optimos de euictionis doctrina scriptores. Frustra apud eos hoc quaeres mecum, frustra fores pulsabis. Domo absunt, aliis rebus intenti. Nescies cum illis, quo te veritas. Haerent incerti atque titubant. Regulas ponunt, ampliationes infarciunt, limitationes crepant, exceptiones addunt, numquam certi aliquid stabilire audent. Non vana est ostentatio. Nec iniurius in hos Viros opti-

optime meritos esse volo. Hoc tantum contendere fas erit, nec illos nec posterioris aevi, nostri nempe, ICtos sollicitos fuisse de vero & adaequato euictionis praestationis fundamento, aut si de eo laborarunt, capti sunt mirifice. Negotium onerosum fundamentum esse aiunt quidam, alii pretium. Omnes aliquid pro indubitato ponunt, non temere credendum. Adducam vnicum, quem certe miror, ingeniosissimum alias ICtum. AVGVSTINVM DE LEYSER e), qui ita scriptum reliquit: *Venditor, & quisquis in alterum rem aliquam aut ius titulo oneroso transfert, eidem ad euictionem praestandam obligatur.* Eandem viam incedunt IOANNES SCHILTERVS f), SAMVELIS STRYKIVS g), VLRICVS HVBERVSH), NICOLAVS BVRGVNDVS i), GEORGIVS FRANZKIVS k), GEORGIVS ADAMVS STRVVIVS l), IOANNES HENRICVS DE BERGER m), IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS n), IOANNES GOTTFRIED SCHAVMBVRGBIVS o) & quid nunc mirum? fere omnes. Euictionis itaque praestatio exfulat generatim in donatione ac negotio lucratiuo ex horum Virorum

D 3 fen-

- | | |
|--|--|
| e) exciz. saepius libro Sp. cccxxxix. euict. n. 187. | l) in Synagm. iur. civil. Ex. 27. |
| m. 1. | th. 16. 17. |
| f) in Exerciz. ad Pand. tit. de euict. | m) in Oec. iuris p. m. 750. n. 6. |
| g) in vs. Mod. tit. de euictionibus. | n) in introd. in ius dig. tit. de euict. §. 3. |
| h) in Prael. ad Pand. tit. de euictionibus. | o) in comp. Digest. tit. de euict. §. 2. |
| i) in tract. de euictionibus. | |
| k) in Comment. ad Pand. tit. de | |




sententia, nisi aut sit promissa aut donator dolo egerit. Propius tamen, ne quid dissimulem, ad rem accessit, IOANNES SCHILTERVS p) ad emtionem, inquit, venditionem & ceteros contractus, quibus dominium aut ius aliquod aliud, ad alterum transfertur, pertinet, ut si illud tertius euincat, & per iudicem emtori auferat, emtor, & qui illi par fuerit, a venditore indemnis seruetur. Hoc enim agitur inter contrahentes & alienantes, ut intelligatur alienans ius dominii habere, & illud valide atque efficaciter transferre. Quod si contrarium consequitur, ex intentione agentium, ex natura contractus & ex aequitate & obligatione naturali regulariter tenetur alienator ob euictionem ad praestationem damni & interesse. Idque adeo verum est, etsi nihil hac de re in contractu conuentum aut expressum fuerit, quia per se & natura inest. Sed licet egregie pleraque dicta sint, in quibusdam tamen verbis iam anguis latet ut in herba. Ipse etiam SCHILTERVS negat in donatione praestandam esse euictionem. Audeamus nos itaque in tam difficili re nostras qualescunque coniecturas proferre mentemque luculentius explicare.

§. XIII.

Perpendamus autem primo loco hanc rem secundum ius illud, quod naturae nostrae inditum est, quo facto facilius ea, quae in iure romano aut addita sunt aut

p) cit. loc.



aut mutata, poterunt perspici atque diiudicari. Accipe itaque quoad ius naturae, re *absolute* spectata, sequentia.

I. Is qui in alterum aliquid transferre obligatus fuit, alteri autem id iuste euietum est, is euietionem praestare debet mox plenam, mox minus plenam & inter hanc mox ratione interesse mox ratione rei, non adtento vtrum negotium sit onerosum aut lucratiuum.

II. Is praestat euietionem plenam (§. II.) qui aequae obligationi suae principali non satisfecit, ac vt causa damnorum reliquorum considerandus est.

III. Is praestat euietionem minus plenam ratione interesse (§. II.) qui obligationi suae principali non satisfecit, sed vt causa damnorum ceterorum non potest spectari effectiue nimirum.

IV. Is praestat euietionem minus plenam ratione rei (§. II.) qui obligationi suae principali satisfecit quidem, sed vt causa damnorum reliquorum spectari potest.

Quum enim quilibet obligationem suam legitime adimplere obstrictus sit, ac damna, quorum causa est, refarcire debeat (per notoria iuris principia) veritas regularum sole meridiano clarior est. Quumque in his probationibus non videatur ad id, vtrum negotium sit onerosum aut lucratiuum, nec vlla admittenda est inter



ter eā, quoad obligationis implementum & damnorum rescarcionem ideoque euictionis praestationem, distinctio.

Obligatio itaque ad implendam principalem obligationem & obligatio ad damna data rescarcienda dat obligationem ad euictionem praestandam. Et ius implementum obligationis principalis postulandi & ius damnorum datorum rescarcionem exigendi dat ius euictionis praestationem petendi.

§. XIV.

Adplicemus nunc haec ad donationem & primo quidem loco peroremus *de donatione generis*, quod argumentum excipiat *donatio speciei* & ea, quam *mixtam* adpellauimus. *Donator generis, re quadam tradita euieta, ad euictionis praestationem plenam est obstrictus.* Donatoris enim generis ea est obligatio vt rem quandam ita praestet vt donatario eam habere liceat (§.7.) ergo si res ab eo forte tradita iuste euieta est ab alio, palam est, se vere non, sed speciose tantum impleuisse pactum, ergo donatario adhuc saluum est ius implementum pacti postulandi. Cui accedit, quod res, quae traditur postea a donatore generis, sit tantum in solutione (Cor. ad §. 5.). Solutio autem aliter efficax esse nequit i. e. liberationem ab obligatione gignere, nisi id vere contineat, quod est in obligatione. lam autem



tem dicta sub determinatione solutio non respondet obligationi pactitiae, quod euictio subsequuta comprobatur, ergo ad aliam rem substituendam aut in subsidium ad eius aestimationem tenetur Q. e. p. Sed quum etiam damna cetera, quae perpeffus est donatarius ob euictionem factam, existentiae rationem agnoscant in facto donatoris generis, atque proinde vt caussa eorum a donatario spectari queat, sequitur, vt donatario quoque teneatur ad damna cetera refarcienda. Q. e. a. Ideoque coniunctim ad euictionem plenam (§. II. §. 13. II.) praestandam re data euicta tenetur donator generis.

SCHOL. Distinguas modo *causam moralem a causa non morali*. Causa etiam non moralis ad damna refarcienda potest conueniri, at poenam non subit. Causa autem moralis vtrumque luit.

§. XV.

Sed video acrem aduersarium, perspicacissimum iuris naturalis doctorem CHRISTIANVM L. B. DE WOLFF q). Is enim sequenti modo rationes subducit. Donator donatario non obligatur ad euictionem praestandam. Donator enim rem dat gratis adeoque nil pro ea recipit a donatario, adeoque in donatarium non transferre voluisse censetur nisi ius, quale ipsi competit. Quodsi ergo tertio cuidam competat ius potius, ob quod rem donatam euincit, nulla sane ratio est, cur pretium eius praestare debeat donatario, adeoque eiusdem euictionem praestare tenea-

q) in iure naturae S. III. part. IV. c. IV. §. 1190.



teneatur. Quoniam itaque ex ipso actu donator donatario ad praestandam euictionem non obligatur, nec ad eam praestandam promittendo expresse sese eidem obligat, qui donat, donator donatario non obligatur ad praestandam euictionem. Sed salua res est. Praeuidimus enim iam telum atque e medio sustulimus in §. VII. Omnis enim argumenti vis latet in verbis: adeoque in donatarium non transferre voluisse censetur nisi ius, quale ipse competit. Sed quomodo haec concipere mente sibi quis poterit? Ego ne diuinando quidem haec adsequi possum. Donator enim generis non respicit ad hanc vel illam rem, nec de ea cogitat, sed simpliciter declarat, se velle in rem suam donatarii rem quandam transferre. Haec est sua obligatio. Hanc adimplere eum oportet legitime. Iniquus est verborum suorum interpretes donator generis, si cum WOLFFIO promissionem suam generalem explicare intendit. Ipsa eius culpa erit. Cur enim non clarius loquutus est? Hoc enim si inter partes actum est, vt donator de euictione respondere nolit, res clara est.

§. XVI.

Venio nunc ad donationem speciei, quod argumentum tamen sine distinctione a me non posse pertractari sentio. Donator enim speciei vel promittit expresse euictionis praestationem vel non. Si hoc vel scit donatarius rem donatam esse alienam l. non. Si hoc; vel donator agit dolose vel non.

§. XVII.



§. XVII.


Donator speciei qui promisit expresse euictionis praestationem, re euicta, tenetur ad euictionis praestationem plenam. Nemo, reor, erit, qui de veritate huius propositionis dubitet, perpendens, id quod stipulatum est, sancte seruandum esse. Dum enim donator speciei expresse promittit euictionis praestationem declarat satis, se hanc rem in re suum alterius vere velle transferre, & si ipsi non competeret ius vllum, aliam rem se velle substituere. Damna cetera, quae sentit donatarius ob euictionem, a donatore repetit iure suo. Hunc enim, ac causam eorum, considerat.

§. XVIII.

Si donatarius speciei scit, rem, quam ipsi alter donat, esse alienam, nihil repetere potest. Quum enim in donatione speciei donator id tantum ius, quod ipsi in rem donatam competere credit, donasse censendus sit (§. 6.) donatarius autem non fugit rem esse alienam, consequens est, vt ipse in causa sit, cur rem acceptauerit damnumque passus sit. Cur enim vero domino non restituit? Hoc enim aequitas vult. Hoc iubet iusticia.

§. XIX.

Si donator speciei dolose agit rem alienam alteri donando ad euictionis praestationem plenam tenetur. Quum enim donator sciuit, eius nec rem illam nec vllum




ius proprium esse, alteri tamen rem promisit, donatario integrum est a donatore postulandi ut aliam rem substituatur, minimum ex capite turbationis, si non ex consensu pactone. Et quum praeterea causa damnorum sit, quae donatarius ob euictionem incurrit, ad damna refarcienda, ideoque ad euictionis praestacionem plenam est obligatus (§. II. §. 13. II.)

§. XX.

Si donator speciei nec promisit euictionis praestacionem nec fraudulenter egit, nec donatarius ipse in dolo est, re donata euicta; locus est euictionis praestacioni minus plenae ratione rei. Quum enim donator speciei nec stipulans euictionis praestacionem, nec fraudulenter agens, rem solum dare voluerit, quatenus ipsi ius est atque facultas (§. 6.) sequitur, ut traditione rei secuta donator ab obligatione pacticia iis sub determinationibus liberatus sit plene, adeoque ad surrogationem alterius rei eiusue aestimationem non teneatur (§. 13. IV.). Sed quid de damnis reliquis, quae forte donatarius aequae in bona fide constitutus perpeffus est, sentiendum erit? Et puto donatario ius esse a donatore postulandi eorum refarcitionem, ideoque euictionis praestacionem minus plenam ratione rei (§. II.). Donatoris enim factum in causa etiam est, cur damnum sentiat. (§. 13. & Schol. ad §. 14.)

§. XXI.



§. XXI.

Disquiramus nunc de donatione mixta. Indiuidua illa singula, quae quantitatem illam determinatam constituunt, vel omnia sunt aliena, vel quaedam aut vnum ex illa. Si donatio mixta consideratur quoad vniuersam quantitatem respondet donationi speciei; si autem ad hoc vel illud indiuiduum refertur, respondet donationi generis (Cor. ad §. 5. & §. 8. Si itaque vniuersa quantitas est ab alio euicta & per consequens indiuiduum quoque ex ea traditum donatario mixtim tali, donationi speciei responderet, ideoque ea omnia, quae diximus §. 17. 18. 19. 20. locum sibi vindicant ob identitatem rationis. Obligatio enim donatoris mixtim talis restricta est vnice ad hanc designatam vniuersitatem, & si quod ius sibi in illam competeret, prouti putauit, donatario rem quandam ex illa singularem gratis praestare se obstrinxit (§. 8.).

Donator itaque mixtim talis promittens expresse euictionis praestationem, vniuersa quantitate euicta, euictionem plenam praestare tenetur (§. 17.). Donatarius mixtim talis, sciens, nullum ius donatori in vniuersitatem designatam competere, nihil euictionis nomine postulare potest (§. 18.). Donator mixtim talis, doloſe agens, ad euictionis praestationem plenam tenetur (§. 19.). A donatore mixtim tali nec promittente euictionis praestationem, nec fraudulenter agente, vniuersa quantitate euicta, ius tantum



est donatario euictionis praestationem minus plenam ratione rei postulandi (§. 20.). Si autem quaedam vel unicum vniuersitatis illius individuum tantum sit alienum, & hoc forte a donatore mixtim tali traditum, a donatario autem euictum sit, id adplicandum erit, quod probauimus in §. 14. de donatione generis. Hoc enim respectu aequipollet mixta donatio generis donationi. Ideoque plena est, hoc intuitu, praestanda euictio. (Cor. ad §. 5. & §. 8.).

§. XXII.

Quae nunc hucusque disputauimus, de iure aeterno, videamus, vtrum per omnia Romanorum adfensum meruerint. Sollicitus ante omnia ero de genuino euictionis praestandae vel non praestandae fundamento in iure Romano & hodierno. Fas mihi iam erit, meam de illa re qualemcunque sententiam proponere. Omnia si curate confidero, tres deprehendo, in laudatis iuribus, fontes ad euictionem praestandam vel non praestandam. Primus est *dolus*, secundus, *pactum speciale de euictione praestanda vel non praestanda initium*, tertius & difficillimus *natura praesentis negotii*. Hi spectandi sunt, atque secundum eos diiudicandum, vtrum in obuiio negotio praestanda sit euictio nec ne? & quaenam? Primum fundamentum esse diximus *dolum*. Si enim dolus commissus sit atque fraus improba, indistincte ad euictionis praestationem, eum, qui doli reus est, adstringunt leges romanae & hodiernae,

nae,



nae, licet secundum naturam negotii praesentis, in quo dolus se intermiscuit, non sit praestanda euiçtio. Inquit praclare GORDIANVS Imp. r).

Nam sicuti genus huiusmodi contractus inscium creditorem vinculo euiçtionis non adstringit, ita eum, qui fraudem admisit, vel decepit, non excusat.

Si autem alter, a quo res euiçta est, dolo egit, puta, quod sciens rem esse alienam, de ea pactus sit, cessat euiçtionis praestandae necessitas s). Si autem dolus non occurrit, succedit alterum fundamentum, puta *pactum de euiçtionis praestatione initum*. Notissima enim res est in iure romano per pactum effici posse, vt aequè in negotio quodam euiçtio praestetur, in quo secundum naturam negotii non praestanda esset t); ac vt in alio negotio non praestetur, in quo secundum naturam negotii praestanda esset u). Aut vtrumque deficit. Tunc recurrendum est ad naturam negotii praesentis, tanquam tertium & vltimum, sed difficillimum quoque fontem. Si haec luculenter explicassent ICTI, melius certe consultum fuisset iurisprudenciae commodis. Sed quaeris, quid est illud, ad quod respiciendum iubes, si secundum negotii praesentis naturam diiudicandum est, vtrum obuio in casu

t) in l. 2. C. creditorem euiçtionem pignoris non debere. l. 11. in fin. π . de act. emr. vend.

s) l. 27. C. de euiçt.

r) vid. tit. π . de distract. pignor. de hered. vel act. vend. l. 1. C. cred. euiçt. pign. non debere.

u) l. 11. π . de act. emr. vend.



casu praestanda sit euictio nec ne? & si illud quae-
nam? plena an minus plena? Accipe itaque ratione
fundamenti euictionis praestationis, si natura negotii
spectanda est, sequentem regulam generalem.

*Is, qui obligatus fuit ad rem alteri tradendam, id
autem legitime & obligationi suae conuenienter non fecit,
re euicta, aliam rem surrogare aut aestimationem dare,
& si in eo gradu culpa versatur, qui obuius in negotio
praestandus est, utilitatem etiam s. damna reliqua resarci-
re debet, ideoque dicta sub determinatione euictionem ple-
nam praestare (§. II.).*

Obligatio itaque ad obligationem principalem
implendam & obligatio ad damna culpa data resarcienda,
dat quoque in iure romano & hodierno obligationem
ad euictionis praestationem. Et ius obligationis
principalis implementum postulandi & ius damnorum
culpa datorum resarcitionem exigendi, dat ius euictionis
praestationem petendi. Non credo fore quemquam,
qui priorem regulae modo stabilitae articulum
in dubium sit vocaturus. Quum enim secundum ius
rom. imo & hodiernum eousque conuentionis vis at-
que efficacia uiuat, donec se is, qui obligatus est,
legitime ab obligatione liberauerit, quis haesitare po-
terit, concedere, alteri, cui res quaedam tradita qui-
dem est, sed non prout obligatio postulat, ius adhuc
saluum esse atque integrum ad meliorem obligationis
solu-

solutionem agendi, nulla distinctione inter onerosa negotia & lucrativa admissa? Quod alterum regulae membrum spectat, & eos quoque, qui primis solum labris iurisprudentiae limina degustarunt, non latet, Romanos in conuentionibus rationis dictamen, iuxta quod quaeuis culpa praestanda est, deseruisse, tresque culpae gradus effinxisse, & secundum diuersam conuentionum naturam atque conditionem aliaque, quae forte obueniunt, modo latam, modo leuem, modo leuissimam exegisse. Vide *Magnifici IOACHIMI GEORGII DARIES absolutissimas Institutiones iurisprudentiae positivae romano germanicae x)* aut quem lubet inter recentiores ICtos. Horum enim ea laus propria est, quod doctrinam hanc satis obstructam, luculentius explicauerint atque solidius, ac a veteribus ICtis factum esse nouimus. Hoc certum est, quod in donatione, tanquam ab vna parte solum proficuo negotio lata culpa sit praestanda y). Sed quaestio est paullo intricatior, nec a ICtis tractari solita, vtrum in damnis, quae euictionem passus praeter rem euictam percepit, refarciendis ad has regulas sit recurrendum, aut vtrumne potius quaeuis culpa sit praestanda? Digna, vt resoluatur, quaestio. Vt itaque dicam, quod res est, omnino ad generales illas regulas, si de praestatione eius, quod interest s. utilitatis sermo est ob naturam negotii praesentis, respiciendum

F

dum

x) §. 214. 215. 216. p. 102. sq.

y) l. 5. n. commodati vel contra.



dum mihi esse videtur. Probent hoc IAVOLE-
NVS z).

*Si in venditione, inquiring, dictum non sit, quan-
tum venditor pro euictione praestare oporteat, nihil
venditor praestabit, praeter simplam euictionis no-
mine, & ex natura ex emto actionis, hoc quod in-
terest.*

& PAVLLVS a):

*Euicta re, sunt eius verba, ex emto actio, non
ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id, quod
interest, competit, ergo & si minor esse coepit,
dammum emtoris erit.*

Et sic euictum erit vltimum regulae membrum.

§. XXIII.

Adplicet nunc L. B. haec ad casus speciales.
Operae pretium erit vno alteroue exemplo huius rei
fidem facere, ne gratis hoc a nobis dictum videatur.
Dabimus rei firmandae causa pauca. Creditor pigno-
raticus, rem in pignus datam, ob moram legitime
vendens non tenetur de euictione b) nisi aut suo no-
mine vendiderit, aut in dolo sit, aut cauerit de euic-
tione. Sed quae est ratio? Haec nimirum, quia ad
nihil aliud obligatus fuit pro natura venditionis obtiniae,
quam

z) l. 60. π . de euict.

a) l. 70. π . eod.

b) l. 10. 12. §. 1. π . de distract.
pignor. l. 1. 2. C. cred. euict. pign.
non debere.

quam praestare, sibi ius pignoris in rem competere, neminemque se potiorum esse ceteris creditoribus c). Hoc si verum est, tradito pignore, se liberavit ab obligatione. Cessat ergo evictionis praestationis fundamentum (§. 22.). Aliud tamen dicendum est, si suo nomine vendidit pignus, aut in dolo est, aut cavit. Tunc enim tenetur ita emptori rem tradere, ut eam habere omnimodo liceat. Ideoque evictione secuta, ut respondeat de evictione necesse est, implevit enim obligationem suam minime.

Nam sicuti huiusmodi genus contractus inscium creditorem vinculo evictionis non adstringit, ita eum, qui fraudem admisit vel decepit, non excusat, inquit Imp. GORDIANVS d).

Porro venditor hereditatis evictionem rerum hereditariarum singularium venditione hereditatis simpliciter facta non praestat. At quare? inquit VLPPIANVS e):

Venditor hereditatis satisfacere de evictione non debet, cum id inter vendentem & ementem agatur, ut neque amplius, neque minus iuris emptor habeat, quam apud heredem futurum esset.

Hoc itaque praestare debet, se heredem esse & hereditatem adesse. Hoc facto ab obligatione solutus est f). Cessat ergo evictionis praestationis fundamentum

F 2


(§. 22.).

c) allegata l. 1. c.

d) in l. 2. C. excir. vir.

e) in l. 2. pr. π. de hered. vel act. vend. adde l. 11. 12. 13. eod.

f) l. 13. excir.



(§. 22.). Luculentissime ex his patet, Ictos romanos naturam & qualitatem obligationis, deficiente dolo & pacto speciali, in euictione praestanda contemplatos esse, vtrumne illi sit satisfactum legitime nec ne? non ad id respexerunt vtrum negotium sit onerosum an lucratium. Sed desisto plura addere, ne nimis exspatiari videar. Periculum iam mihi faciendum est in donatione. Et probandum in me suscipio de iure romano & hodierno distinguendum esse quoad euictionis praestationem in donatione, inter eam, quam mixtam dixi, generis & speciei (§. 5.). Ita vt in hac extra casum conuentionis aut doli cesset; in illa autem, quae generis est, iure meritoque locum sibi vindicet; in ista, quae mixta dicitur, sub distinctione vtrum tota vniuersitas sit euicta an non. Conuertamus ordinem. Loquamur primo loco de donatione speciei.

§. XXIV.

Donator speciei in dolo existens, re donata euicta euictionem plenam praestare debet. Fluit hoc ex iis, quae obseruauimus §. 22., & comprobatum est ab VLPIANO g). Quid autem, si & donatarius sciat, ad donatorem rem donatam non pertinere, ideoque aequae doli reus sit? Nihil actum esse puto. Nec donatorem ad quidquam obligatum esse credo. Is enim, qui

g) in l. 18. §. 3. *de donat.*

qui dolo agit, nullo favore dignus censetur, sed damnum, quod is sentit, sentire non creditur.

§. XXV.

Donator speciei eviictionis praestationem promittens, re evicta, ad eviictionis praestationem plenam tenetur. Hoc enim fidei pactorum conueniens est. Adparet & ex iis, quae dixi §. 22. & adstipulantur Impp. SEVERVS & ANTONINVS b). Verba tamen pacti inspicienda sunt, quodsi in iis omnia accurate sunt determinata res dubio vacat, & iis inhaerendum est. Praeterea apud Romanos *duplum, triplum* & sic porro eviictionis nomine stipulari consueuisse, neminem fugit.

§. XXVI.

Donator speciei nec doli aut latae culpa reus, quae quatenus ad interesse priuatum agitur, dolo aequiparatur i), nec eviictionis nomine quidquam stipulans, re evicta, tenetur ad nihil. Neque enim ad pretium rei donatae evictae aut ad aliam rem surrogandam. Id enim actum est in donatione speciei, vt, quidquid iuris haberet donator, donatarius habeat (§. 6.). Ergo dum tradidit bona fide rem illam donatam consumpta est sua obligatio (Cor. ad §. 5.). Ergo secundum naturam negotii locus non datur fundamento eviictionis

F 3

nis

b) in l. 2. C. de evict.

si mensor fals. mod. dix l. 7. depof.

i) l. 226. π. de V. S. l. 1. §. 1. π. l. 29. §. 3. mand.



nis praestationis, quoad aliam rem s. pretium rei eui-
ctae (§. 22.) sed praeterea nec doli reus est, nec pro-
misit quidquam euictionis nomine, ergo & ceteri fon-
tes obstructi sunt (§. 22.). Nec obligatus est ad
damna cetera, quae forte ob euictionem perpeffus est
donatarius, refarcienda. Extra casum conuentionis
enim latam solum culpam praestat donator (§. 22.)
quae tamen, vt fingo, deficit.

§. XXVII.

Adcedo iam ad illud, in quo rei cardo versatur,
quodque caput totius controuersiae est. Hic opus,
hic labor. *Donator generis, re illa, deinde tradita, eui-
cta, ad euictionis praestationem minus plenam ratione in-
teresse (§. II.) Et si dolo aut culpa lata rem alienam tra-
didit, etiam minus plenam ratione rei (§. II.), ideoque
his sub circumstantiis ad plenam euictionis praestationem
(§. II.) tenetur.* Ea enim est donatoris generis obli-
gatio, vt rem quandam vere in re suum donatarii
transferat (§. 7.). Sed dum res illa, quam dedit,
iuste euicta est, pactum haud consummauit legitime
ideoque adhuc salua est obligatio pactitia. Res enim
tradita, omnimode est in solutione tantum (Cor. ad
§. 5.). Solutio autem efficax non censetur, nisi id
contineat vere, quod est in obligatione (§. 7.); ergo
pro natura negotii & iuxta fundamentum euictionis
praestationis, vinculo euictionis minus plenae ratione
inter-

interesse (§. 11.) adstrictus est (§. 22.) Q. e. p. Quumque praeterea donatorem de doño aut culpa lata respondere oporteat (§. 22.) consequens est, vt, si in ea haereat, etiam id quod interest refundere, ideoque & euictionem minus plenam ratione rei (§. 11.) praestare sit obligatus (§. 22.) atque proinde dicta sub determinatione euictionem plenam (§. 11.) praestare teneatur (§. 22.). Q. e. a. Quodsi praeterea donator generis de euictione nominatim cauisset, quid tunc dicendum videatur, collige ex iis, quae dicta sunt §. 22. & 25.

§. XXVIII.

Dicamus de donatione mixta. Adplicanda hic ea solummodo erunt, quae modo diximus de donatione speciei & generis, prout vel tota vniuersitas s. quantitas illa determinata, ex qua res gratis promissa praecise sumenda sit, vel vnum aut quoddam quantitatis illius indiuiduum euictum sit. Priori enim casu coincidit cum donatione speciei (§. 8. 21.). Posteriori respondet donationi generis (§. 8. 21.).

Ideoque donator mixtim talis, doli reus, tota vniuersitate determinata euicta, euictionem plenam praestare debet (§. 24.). Donator mixtim talis euictionis praestationem promittens, vniuersa quantitate licet euicta, ad euictionis praestationem plenam tenetur (§. 25.). Donator mixtim talis nec doli reus, nec euictionis nomine quidquam stipu-



stipulans tota vniuersitate euicta, tenetur ad nihil (§. 26.). Donator autem mixtim talis indiuiduo illo ex vniuersitate designata tradito solum euicto, ad euictionis praestacionem minus plenam ratione interesse (§. 11.). Et si dolo aut culpa lata rem alienam tradidit, etiam minus plenam ratione rei, ideoque dictis sub determinationibus ad plenam euictionis praestacionem tenetur (§. 27.).

§. XXIX.

Probauit haec tenus meam sententiam (§. 23.) de euictionis praestacione in donatione ex primis atque genuinis iurisprudentiae romanae atque hodiernae principiis. Sed progrediar ulterius. Probabo & eam ex ipsis legibus romanis earumque analogia, atque ostendam deinde Ictos romanos vere meam distinctionem, licet non quoad verba, re ipsa tamen adhibuisse, si sermo erat de euictionis praestacione in donatione in stipulationem deducta. Haec omnia autem melius distinctiusque proponi non posse sentio, ac si donationem sub duplici illa forma, qua apud Romanos obuia erat, considerem. Agedum incipiamus. Dixisse me iam aliquoties memini, ante Iustiniani aetatem donationem plenissimum non habuisse effectum, nisi aut ipsa statim traditio interuenerit, aut in stipulationem deducta sit (Schol. ad §. 3.). Si itaque donatio initium ceperat traditione, id tantum actum videbatur, ut, si quid iuris haberet donator in hanc rem, dona-

donatarius haberet. Erat itaque similis donationi speciei (§. 6.). Rationis per consequens erat, ut re, bona fide donata, euieta, euietionis vinculo non adstrictum esse donatorem dicerent. Id enim satis declarasse eum, qui traditione initium fecerat, ut, si quod sit ei ius in rem donatam, id donatarius habeat, Romani rebantur. Praeterea nec vllum aliquid obligationis fundamentum adesse secundum iurisprudentiae suae principia animaduvertebant. Si itaque forte contigerat, ut dominus tantum putatius fuisset donator, euietionis oneri eum non subiacere pronuntiabant recte, & principiis haecenus explicatis conuenienter, nisi sciens ad se non pertinere donauerat, aut euietionem praestare stipulatus erat nominatim (§. 22. sqq.). Et haec vera est atque genuina l. xviii. §. 3. n. de donationibus, quam tantopere vrgent Icti, mens atque dispositio. Inquit in ea VLPIANVS:

Labeo ait, si quis miki rem alienam donauerit, inque eam sumtus magnos fecero, & sic euincatur, nullam miki actionem contra donatorem, competere: plane de dolo posse me aduersus eum habere actionem, si dolo fecit.

Intelligendam esse, contendo, hanc legem de donatione, quae initium sumserat apud Romanos a traditione, quae est speciei (Cor. 3. ad §. 3.); atque si hoc verum est, uti certe est, ipsos Ictos VLPIANVM atque LABEONEM patronos & defensores sententiae meae prouo-

G

co.



co. Euietum id autem dabo. Aut enim lex excitata disponit solum de donatione, quae a traditione initium cepit, aut solum de donatione per stipulationem inita, aut de vtraque. Quartum non datur. Hoc & illud ideo primo dici nequit, quoniam aduersarium nancisceretur VLPIANVS POMPONIVM, qui in donatione in stipulationem deducta expresse contrarium statuit: vt in sequenti §. ostendemus. Hoc autem non putandum. Secundo ipsa LABEONIS verba, quae sedulo integra seruauit VLPIANVS, satis superque euincunt, ipsi sermonem esse tantum de donatione, quae a traditione initium sumfit, quae est speciei. Reperio verba in antecedentibus legis, quae ab interprete caute consideranda sunt: *si tibi seruum tradidero; si donationis causa in hoc tradatur seruus: si mihi rem alienam donauerit.* Quae certe nihil certius indicant, quam quod LABEONIS mens fuerit de donatione cum traditione statim coniuncta differere. Omnium optimum enim & tutissimum interpretandi genus esse, quod ex ipsis auctoribus reperitur, inter omnes constat. Quo enim meliore vteris interprete, quam eo ipso, de cuius sententia quaeritur? Ea praeterea proprie ICtis romanis dicebatur donatio, quae a traditione inceperat, ideoque factum est, vt donationem inter modos adquirendi referrent (Schol. ad §. 3.). Quodsi de donatione in stipulationem deducta verba faciebant, sedulo id adiecisse eos, discimus ex tit. de donationibus & verborum obli-




obligationibus. Legas si placet l. xxii. xxiii. excitati prioris tituli Pandectarum. Ii ICTi, qui in BENEDICTI CARPZOVII verba iurarunt, facile mecum sentient. CARPZOVIVS k) enim memoratam legem xviii. de donatione a traditione incipiente interpretatur. Sed malo argumentis pugnare, quam auctoritatibus. Malo ipse videre, quam alienis luminibus uti. CARPZOVII verba, quia sententiam ipsius omnino non confirmant, piget excitare. CARPZOVIVS enim, uti solet, ne vnico quidem probabilitatis, ne dicam certitudinis, argumento suam interpretationem confirmavit. Gratis omnia dixit. Sermo itaque est, ut probatum me dedisse arbitror, LABEONI & VLPIANO in dicta lege de donatione a traditione incipiente, quae est speciei, eademque in illa iusta esse dicunt, quae ego eui-ci in donatione speciei (§.24. sqq.). Si hoc bene obseruassent ICTi, in eum certe errorem non prolapsi fuissent, ut indistincte adfirmarent, moti hac lege xviii., in donatione non esse praestandam euictionem. Verba enim legis nuda non sunt captanda. Mens ICTi atque ratio, addo & facies iurisprudentiae romanae spectandae sunt. Lucem si non praefert antiquitatum romanarum solida cognitio, quid recti iustique poterit in iure romano disputari? Exemplum iam habes luculentissimum.

G 2

§. XXX.

k) in *iurisprud. forens.* p. 2. c. 34. def. 23.



§. XXX.

Donatione in stipulationem deducta iterum distinguendum est. *Stipulatio* (Schol. ad §. 3.) erat vel *certi* vel *incerti*. *Certi stipulatio* dicebatur, si speciem aut quantitatem stipulabatur. *Incerti stipulatio* si genus vel factum stipulabatur ¹⁾. Fingamus nunc speciem stipulando promississe bona fide donatorem, hac deinde a donatario euieta, nulla actione tenebatur. I. Non ad aliam rem substituendam eiusue aestimationem, quoniam in stipulatione obligatio descendebat e verbis sollemnibus atque formula (Schol. ad §. 3.). Verba autem stipulationis loquebantur tantum de hac specie, (individo) donanda. In stricti quoque iuris iudiciis (Schol. ad §. 3.) ultra verba ore prolata progredi non licebat iudici pedaneo, quod patet ex formula, qua a Praetore circumscriptus dabatur e. g. SI PARET TITIVM STICHVM EX STIPVLATV DEBERE, TV ILLVM CONDEMNA. Atqui Stichus iam traditus erat, ideoque verbis stipulationis satisfactum. Praeterea & hoc iuris fuisset, licet stricta verborum explicatio, pro natura stipulationis non adprobata fuisset Romanis. Hoc enim ipsa donationis speciei natura iubet (§. 6. 26.). II. Nec ad interesse s. damna cetera refarcienda, quoniam de his aequae stipulationis verba non erant concepta. Idem & nos probauimus, at ex natura donationis speciei (§. 26.).

1) l. 74. 75. π. de V. O.

§. XXXI.



§. XXXI.

Si vero fingis quantitatem per stipulationem esse donatam, distingue porro, vtrum quantitas omnimode fuerit determinata an non. Vt ecce: Donatarius interrogabat: *Dabisne mihi decem aureos, quos in arca habes?* tunc omnimode erat determinata, & aequipollebat stipulationi speciei. Si vero sic formula erat: *Dabisne mihi decem aureos?* tunc non omnimode erat determinata, & respondebat stipulationi generis. Ideoque priori casu, si forte bona fide promissi & traditi decem aurei a tertio v. c. pupillo, qui illos nulliter mutuo dederat, vindicati erant, ad alios substituendos decem aureos non obligatum fuisse stipulatorem in aprico est (§. 6. 26. 30.). Neque enim quantitas deducta erat in obligationem, sed certum illud corpus numerorum, qui in arca sunt, & ideo si nihil sit in arca, nihil est in stipulatione *m*). Posteriori vero casu, traditi deinde decem aurei erant tantum in solutione (Cor. ad §. 5.) ideoque si a tertio quodam euincabantur, euictionis minus plenae ratione interesse (§. 11.) vinculo adstrictus erat bonae fidei promissor pro natura stipulationis. Non enim ad hos vel illos decem aureos, sed generaliter ad totidem aureos soluendos ita, vt eos habere liceat donatario, tenebatur ex stipulatu. Ideoque traditis prioribus decem aureis euictis, nondum se ab obligatione liberauerat legitime (§. 22.).

G 4

§. XXXII.

m) l. 1. §. 7. *π.* de *dote praelegata* l. 108. §. 10. *π.* de *legat. 1.*




§. XXXII.

Restat, vt dispiciamus, quid iuris fuerit iure romano anteiustiniano, si donatio per *stipulationem incerti* (§. 30.) inita erat, quae tunc adesse censebatur, si genus vel factum promissum. Si factum stipulatum, id ad nos non pertinere videtur. Videamus itaque, quid disponant leges romanae, si genus stipulando donatum fuerit. Si res generaliter gratis promittebatur stipulando vel hoc iterum fieri poterat, vt determinaretur quantitas s. vniuersitas certa, ex qua praestanda esset res generatim promissa; vel ne hoc quidem fiebat, & generatim res quaedam promittebatur. Si illud, donationi mixtae (§. 5. 8.) adplicari potest; si hoc, donationi generis (§. 5. 7.). Quid itaque nunc iustum erit in donatione mixta, si nempe res quaedam, adiecta tamen vniuersitate certa, ex qua *praecise* sumenda, stipulata sit? Distingue. Aut tota vniuersitas erat aliena atque euincebatur, & actio contra b. f. stipulatorem cessabat; aut quoddam tantum vniuersitatis indiuiduum erat alienum, idque forte traditum, a donatario mixtim tali euincebatur, & actio dabatur donatario mixtim tali contra donatorem ad aliam rem ex illa vniuersitate substituendam (§. 22.). Si autem, vt in donatione generis, res quaedam simpliciter, non adiecta certa vniuersitate (§. 5.) stipulata erat, quid tunc? Idem dicendum esse arbitror, quod modo (§. 31.) diximus de stipulatione certi in quantitate non

non omnimode determinata. Eadem enim vbique est ratio, idem & argumenti vsus. Is qui seruum simpliciter donare sponderat, & Stichum tradiderat, hoc euicto, ad alium substituendum eiusue aestimationem erat obligatus. Stichus enim tantum erat in solutione (Cor. ad §. 5.) promissor itaque non consummauerat recte obligationem suam, quoniam Stichus euictus erat. Adstrictus ergo erat alium seruum dare, non autem damna reliqua resarcire. In stipulatione enim ad verba respiciebatur (Schol. ad §. 3.), & id, quod ea non loquebantur, nec in obligatione erat. Si ergo doli non erat reus promissor, vnice ad rem aliam dandam tenebatur actione ex stipulatu. Sed quum Viri de iurisprudencia patria & hodierna immortaliter meriti dudum euictum dederint, hodie negotia stricti iuris & stipulationem exoleuisse, damnatis & proscriptis formulis & sollempnibus verbis, semper, extra casum aut doli aut specialis conuentionis, quoad euictionis praestationem, quidque ea inuoluat, ad naturam negotii, in quo euictio praestanda venit, sedulo respiciendum est (§. 22.).

§. XXXIII.

Sed quamquam haec omnia ex probatis & genuinis iuris romani & hodierni principiis deducta sint: & infirmi iudicii soleat esse indicium, legem poscere, vbi ratio manifesta loquitur & principia rem euincunt de qua disceptatur; erunt tamen fortassis increduli quidam,



dam, qui iis adfensum suum denegabunt, nisi clara legis verba proferre potero. Age his satisfaciamus. Prodeat igitur POMPONIVS, qui sequentia memoriae mandavit n).

Heres (seruum) generaliter dare damnatus, sanum eum esse promittere non debet, sed furtis & noxiis solutum esse promittere debebit, QVIA ITA DARE DEBET, VT EVM HABERE LICEAT, sanitas autem serui ad proprietatem eius nihil pertinet: sed ob id quod furtum fecit seruus aut noxam nocuit, euenit, quo minus eum habere domino liceat, sicuti, ob id, quod obligatus est fundus, accidere possit, vt eum habere domino non liceat. SI VERO CERTVS HOMO LEGATVS EST, TALIS DARI DEBET, QVALIS EST. QVAE DE LEGATO DICTA SVNT, EADEM TRANSFERRE LICEBIT AD EVM, QVI VEL STICHVM VEL HOMINEM DARE PROMISERIT.

Adiungam POMPONIO AFRICANVM o) aientem:

Qui quinque in arca habebat, ita legauit, vel stipulanti promisit, decem quae in arca habeo: & LEGATVM ET STIPVLATIO VALEBIT, ita tamen vt sola quinque vel ex stipulatione vel ex testamento debeantur. Vt vero quinque quae deerunt, ex testamento peti possint vix ratio patietur.

Pro-

n) in l. 45. 46. π. de legat. 1.

o) in l. 108. §. 10. de legat. 1.

Prouoco porro LABEONEM de eadem re sic differen-
tem. p).

*Si heres tibi seruo generaliter legato, Stichum tra-
diderit, isque a te euictus fuisset, posse te ex testa-
mento agere Labeo scribit, quia non videtur heres
dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis, &
hoc verum puto.*

In eandem sententiam discedit IAVOLENVS q). Quod
ad legatum optionis vel electionis, quod proxime co-
incidit cum donatione mixta quoad euictionis praesta-
tionem, producam VLPIANVM r) ita aientem:

*Data igitur optione, si quis optauerit seruum alie-
num, vel hominem liberum: videndum est an con-
sumserit optionem, & puto non consumi.*

Inquit VLPIANVS, optare potest: legatarius in legato
optionis vel electionis, ergo ius ipsi est in totam qui-
dem vniuersitatem, sed non vltra eam. Legatum
enim optionis semper certam denominatam quantita-
tem s. vniuersitatem supponit. Lege IAVOLE-
NVM s), PAVLLVM t), IULIANVM u) & GA-
IIVM x), luculenter quoque ea, quae differui de do-
natione mixta confirmantes. Digna sunt PAVLLI, IV-
LIANI & GAII praesertim verba, ut ea adscribam.
Inquit PAVLLVS:

H

Si

p) in l. 29. §. 3. de legat. 3.

q) in l. 58. π. de euict.

r) in l. 2. §. 2. π. de opt. vel
elect. leg.

s) in l. 14. π. eod.

t) in l. 8. §. 2. de legat. 2.

u) in l. 5. π. de trit. vin. vel oleo.

x) in l. 65. pr. π. de legat. 1.



Si quis legauerit ex ILLO dolio amphoras decem: etsi non decem sed pauciores inueniri possint, non extinguitur legatum: SED HOC TANTVM MODO ACCIPIT, QVOD INVENITVR.

IULIANVS autem scribit:

Cum certus numerus amphorarum vini legatus esset ex EO, quod in fundo Serproniano natum esset, & minus natum esset, NON AMPLIUS DEBERI PLACVIT, & quasi taxationis vicem obtinere haec verba, quod natum erit.

GAIVS ait:

Si ita legatum sit: Scio seruos decem do, praeter eos decem, quos Titio legavi: siquidem decem tantum inueniantur in hereditate, inutile est legatum. Si vero ampliores, post eos, quos Titius elegit, in ceteris valet legatum: sed non in ampliores, quam decem qui legati sunt, quod si minus sunt, in tantos, quanti inueniantur.

Sed distincte procedam. Argumenta, quae in his legibus latent, singulatim enodabo.

I. Is, qui alteri genus simpliciter legauit, eius intentio fuit, efficere, vt rem legatario habere liceat, i. e. vt in eius proprietatem vere transeat.

II. Is, qui alteri speciem legauit, id tantum sensit, legatario ita rem dari, vt apud se fuit, & si quod ius sit testatori, id habeat legatarius.

III. Is,



III. Is, qui alteri genus quidem legauit, sed adiecta vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, eius intentio fuit, efficere, vt rem quandam legatario habere liceat, sed ex illa tantum vniuersitate determinata.

IV. Heres, a quo genus simpliciter legatum, rem legatario tradere debet talem, quam habere ipsi licet.

V. Heres, a quo species legata, hanc speciem dare debet, liceat eam legatario habere nec ne? perinde est.

VI. Heres, a quo genus quidem legatum, sed adiecta vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, legatario quidem praestare debet talem rem, quam habere legatario licet, sed ex determinata tantum vniuersitate si fieri potest.

VII. Heres, a quo genus simpliciter legatum, cauere debet, vt rem traditam legatario habere liceat.

VIII. Heres, a quo species legata, ea cautione non est onerandus.

IX. Heres, a quo genus quidem legatum, sed adiecta vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, cauere debet ratione huius indiuidui, vt illud legatario habere liceat, si hoc vnicum forte alienum sit, non autem si tota vniuersitas determinata aliena probetur.

H 2 X. He-



X. Heres, a quo genus simpliciter legatum, re illa tradita eucta, euctationis vinculo est adstrictus.

XI. Heres, a quo species legata, specie eucta, de euctatione non responder y).

XII. Heres, a quo genus quidem legatum, sed adiecta vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, indiuiduo illo, quod legatarius accepit, solum eucto, vinculo euctationis est adstrictus, non autem tota vniuersitate determinata eucta.


SHOL. Nunc periculum facias, si placet, & euoluas GEORGIUM FRANZKIUM *excit. loc. n. 460.* & dicas ingenue, numne ea, quae differuit ille obscure satis de genere generalissimo & subalterno legato melius intelligas atque planius.

Haec nunc adplicanda esse ad eum, qui aut Stichum dare promiserit aut hominem, conceptis verbis testatur POMPONIUS. Age itaque transferamus. Et videbis, quam mire omnia cum superius prolatis & explicatis conspirent.

I. Is, qui genus simpliciter promisit gratis, eius intentio fuit, efficere, vt donatario rem deinde tradendam habere liceat, i. e. vt in eius proprietatem vere transeat (§. 7).

II. Is, qui speciem promisit gratis, id tantum sentit, donatario ita rem dare, vt apud se est, & si quod sit,

y) vide tamen SAMVELEM STRYCKIUM in *vs. mod. tit. de euct. §. 7.*



fit, vt putat, donatori ius, id donatarius habeat (§. 6.).

III. Is, qui genus quidem promisit gratis, sed adiecta determinata quantitate, ex qua praecise praestandum sit, eius intentio fuit, efficere quidem, vt donatario rem deinde tradendam habere liceat, sed ex illa tantum vniuersitate, in quam sibi ius esse putat (§. 8.).

IV. Is, qui genus simpliciter promisit gratis, rem donatario dare debet talem, quam habere ipsi licet (§. 7.).


V. Is, qui speciem promisit gratis, hanc speciem dare debet, liceat eam donatario habere nec ne? perinde est (§. 6.).

VI. Is, qui genus quidem promisit gratis, sed adiecta determinata vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, rem quandam dare debet donatario, quam habere ipsi licet, sed ex illa tantum determinata vniuersitate si fieri potest (§. 8.).

VII. Is, qui genus simpliciter promisit gratis, cauere debet, vt rem, quam tradit, donatario habere liceat.

VIII. Is, qui speciem promisit gratis, ea cautione non est onerandus.

IX. Is, qui genus quidem promisit gratis, sed adiecta determinata vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, cauere debet ratione huius indiuidui, vt illud



Iud donatario habere liceat, si hoc vnicum forte alienum sit, non autem si tota vniuersitas aliena probeatur.

X. Is, qui genus simpliciter promisit gratis, re illa deinde tradita euieta, euietionis vinculo est adstrictus (§. 27.).


SCHOL. Is enim, qui satisfacere de euietione debet, ad euietionem ipsam praestandam est obligatus. Prius expresse loquitur POMPONIVS, ergo & adfirmare debet posterius. Obligatio enim ad vnum connexorum, dat obligationem ad alterum.

XI. Is, qui speciem promisit gratis, specie euieta, de euietione non respondet (§. 26.).

XII. Is, qui genus quidem promisit gratis, sed adiecta determinata vniuersitate, ex qua praecise praestandum sit, indiuiduo illo, quod donatario ex vniuersitate illa dedit, solum euieto, vinculo euietionis est adstrictus, non autem tota vniuersitate euieta (§. 28.).

§. XXXIV.

Tam perspicua omnia sunt, tam luculenta, vt negare haec non poteris, quisquis demum sis. At frontem contrahis, atque audacter negas, a legato ad donationem, tanquam a diuersis, posse concludi. Sed AFRICANO & POMPONIO litem denuncio, qui non solum in supra excitata lege, sed & in lege XXIII. r. de



de V. O. a legato ad promissiones argumentatur. Legis posterioris verba haec sunt:

Si ex legati causa aut ex stipulatu hominem certum mihi debeas, non aliter post mortem eius tenearis mihi, quam si per te steterit, quo minus uiuo eo mihi eum dares, quod ita fit, si aut interpellatus non dedisti, aut occidisti eum.

Deinde nec absouum est, quin potius rationi consentaneum in doctrina de euictionis praestatione a legato ad donationem argumentari. Scio, quae obuertis. Differentiae intercedunt, concedo, legatum inter & donationem. Sed eae differentiae, quas magno eruditionis adparatu, si Diis placet, corrasisse ostentas, haud ita sunt comparatae, ut diuersum quid gignant in utroque negotio in euictionis praestatione. Hoc monstres necesse est. Et si monstrabis, cedam lubenter, victasque porrigam manus, laureamque imponam. Sufficit vniuersalem non esse horum negotiorum dissonantiam. Ea, quae aliqua ratione disparia sunt, alia visione consentire queunt. Satis est, conspirare legatum & donationem in eo, ut probauimus, ex quo totius controuersiae decisio dependet. Id enim ex quo Romani euictionis praestandae necessitatem in legato generis &, certo respectu, optionis deduxerunt, idem & in donatione generis & mixta latere euicimus. Diuersitatis ratio aliqua non suppetit. Nonne itaque regula illa vulgata locum sibi vindicat,
vbi



vbi eadem est ratio, ibi eadem quoque vt legis dispositio sit necesse est. Optime perspecta fuit atque cognita legati & donationis adfinitas IUSTINIANO z), vt ipsum legatum definiat, quod sit *donatio a defuncto relicta, ab herede praestanda.* *)

§. XXXV.

Instas adhuc, iurae naturae atque romano constitutum est, quod nemo cum alterius detrimento atque iniuria fiat locupletior a). Bene. Ait hoc POMPONIUS, idem ille, qui supra a legato ad donationem argumentatus est. Sed nec locupletior fit donatarius generis & certo respectu mixtim talis cum iniuria atque detrimento donatoris. Quod vt rite perspiciatur, inuestigemus, quid sibi velint verba, *cum alterius damno atque iniuria fieri locupletiozem.* Is locupletior fit *cum iniuria alterius*, qui illicitis artibus atque iniustitia comite patrimonium suum cum alterius damno auget. Et ita intelligenda sunt verba in legibus obuia. Quis autem nunc adfirmare audebit, eo modo donatarium fieri locupletiozem? Vrget ius suum pactitium. Iure agit. Licet ex eo donator malum sentiat, damnum tamen iniuria illatum dici meretur minime.

§. XXXVI.

z) in §. 1. *Inst. de legatis.*
*) Quod argumentum pluribus persequar in oratione actui inaugu-

rali praemittenda de legato vera donatione.

a) l. 206. *π. de R. I.*



§. XXXVI.

At aequum est, inquis, nemini liberalitatem suam damnosam esse. Nec damnosa est in donatione speciei & certo modo in donatione mixta. In donatione autem generis & mixta initio quidem fuit liberalitatis opus alteri aliquid donare, sed promissione facta fuit necessitatis *b*). Quemque pactum implere oportet, licet maximum inde sentiat damnum. Aequitas ergo, quam praetendis, si quae vlla, certissime haec cerebrina est. Legatum non minus ac donatio liberalitas est. Heres & defunctus pro vna persona habentur. Nihilominus tamen in legato generis & certo modo optionis obrinet euictionis praestatio (§. 33.). Multa quidem alii praeter haec apud animum suum commenti sunt, quae quidem explodere supersedeo.

§. XXXVII.

Quid nunc putas? Concedisne fundatam esse in ipsius romani iuris ratione distinctionem meam inter donationem generis, speciei & mixtam, atque secundum eam, licet non nominatim, tamen re ipsa Icos romanos obuiam de euictione praestanda in donatione stipulatione inita, quaestionem decidisse? Puto ego, Diuisuri etiam fuissent conceptis verbis donationem in generis, speciei & mixtam, nisi singularia eorum principia obstitissent. Donatio enim in actum statim, nec

I

in

b) l. 5. C. de O. & A.



in stipulationem deducta, semper est speciei. Ergo in illam cadere non poterat haec distinctio. At si per stipulationem inita donatio, non amplius vere donatio erat, sed stipulatio & contractus verbalis (Schol. ad §. 3.). Stipulatio autem ipsis iam diuisa erat in *certi* atque *incerti* (§. 30.), quam tamen in effectu cum donatione speciei, generis & mixta conuenire probauimus (§. 30. sqq.). Quid itaque est, quod nos impediatur, stipulatione antiquata & obsoleta, donationem in eam, quae est generis, speciei & mixtam (§. 5.) diuidere, quum apud nos donatio solo ex consensu obliget (Schol. ad §. 3.), atque secundum hanc distinctionem, principiis iurisprudentiae romanae atque hodiernae congruenter, euictionis praestandae necessitatem in donationibus vel adfirmare vel negare.

§. XXXVIII.

De eorum Ictorum adsensu, qui quoad euictionis praestationem distinguunt, vtrum a traditione incepta donatio, an a promissione, desperandum mihi non esse arbitror. Fecit id, vt principem nomen, BENEDICTVS CARPZOVIVS c). Priori casu, si a traditione incepta donatio, cessare dicunt euictionis praestationem; posteriori autem, si a promissione incepta, eam praestandam esse adfirmant. At quare? Hoc

c) in *iurisprud. forens.* p. 2. C. 34. def. 23. vide & GEORGIVM FRANZKIVM *excit. iam libro* p. m. 804.



Hoc frustra quaeris. Lege CARPZOVIUM, an rationem reddat? Leges quidem, prout solent, excitauit, sed probationem in iis latere eorum, quae ab ipso dicta sunt, neutiquam monstrat. Sed quod ad rem ipsam adinet, displicet CARPZOVIANA opinio, & si mentem atque causam, quae mouerit hos ICtos, ut ita senserint, distinctius euolues, certe meam sententiam, quam nouam esse scio, iurisprudentiae principis consentaneam pronuntiare hi ICti debebunt. Eo enim in casu, quo donatio a traditione inceptit, conuenimus cum ipsis, quia est donatio speciei (Cor. 3. ad §. 3.). Et si hoc verum est, uti est, idem statuere debent, si donatio a promissione inceptit quidem, at species promissa est. Eadem enim in utroque casu adest ratio. Ad mentem donantis respiciendum est, non ad formam, qua iniit donationem, haec enim nil confert ad euictionis praestationem proprie. Dissentio itaque a CARPZOVIO si donatio a promissione inceptit, sed species promissa est. Et si CARPZOVIVS distincte mentis suae cogitata sibi explicasset, quare euictionis praestationem in donatione, quae a traditione inceptit, exfulare dicat, certissime & in altero membro distincturus fuisset, utrum species promissa an genus, & si hoc, utrum simpliciter, an adiecta certa uniuersitate, ex qua praecise praestandum sit? Improbo itaque illa duo responsa CARPZOVI, quorum utrumque donatorem speciei, nec stipulatum euictionis




praestationem, nec doli conscium, ad euictionis vinculum subeundum condemnauit, contra aequitatem & iustitiam naturalem, contra ius romanum & hodiernum. Sed ita contingit saepissime,

§. XXXIX.

Proximum nunc esset, inquirere, num quid forte de euictionis praestatione in donationibus in antiquis Germanorum legibus & passim in legibus provincialibus occurrat. Frustra enim euolues eos, qui iuris germanici compendia atque systemata publici iuris fecerunt. Obuenit quidem in legibus *WISIGOTHORVM* d) sequens dispositio:

Quotiens de vendita vel DONATA re contentio commouetur, i. e. si alienam fortasse rem vendere, vel donare quemcumque constiterit, nullum emptori praeiudicium fieri poterit: sed ille, qui alienam fortasse rem vendere, aut donare praesumpserit, duplam rei domino cogatur exsoluere. Emptori tamen premium quod accepit redditurus, & poenam, quam scriptura continet impleturus: & quidquid in profectu comparatae rei emptor, vel qui donatum accepit, studio suae utilitatis acceperat, a locorum iudici-

d) lib. V. 8. in collect. PETRI GEORGISCH p. 1991.



dicibus aestimetur: atque ei, qui laborasse cognoscitur, a venditore vel donatore iuris alieni, satisfactio iusta reddatur.

Sed quum in antiquis legibus proprie sumtum *donare* dicatur *thingare* (§. 3.), atque donationis vocabulum saepissime de negotio oneroso vt de venditore *e*), de pignoris datione *f*) &c. usurpetur, & generatim id denotet, quod *dare*, *donner*, *geben* significat *g*), quod multos, qui id nescierunt in errores induxit, nil definire volo, commodiori id tempore & peculiari disquisitioni referuans. Nec dicam multa de textu IVRIS SAXONICI *h*) in quo dicitur:

Kein Mann den Schencker zur Gewehrschaft bringen kan, er hat ihm dann das zu gewehren gelobet &c.

cum qua dispositione conspirat Churfürstlich Brandenburgisches reuidirtes Landrecht des Herzogthums Preussens vom Jahr 1685. *i*). At priorem iuris Saxonici dispositionem CARPZOVIUS *k*) cum COLERO de donatione a traditione incipiente interpretatur. Sed nihil

13

- e*) lex Baiuuariorum tit. XVI. *b*) lib. 3. art. 4.
c. 2. *f*) cad. lex. c. 3. *i*) Buch 4. tit. 14. art. 3. §. 7.
g) IO. SCHILTER. in Exerc. *k*) excipit. iam saepius loca.
XXX. th. 44.



nihil addam praeter hoc vnicum: nempe illos, qui ad eiusmodi leges prouinciales conficiendas manus suas adcommodarunt, iure ciuili fuisse imbutos, indeque quum erronee putarent, iure romano simpliciter non praestandam esse euictionem, indistincte etiam leges prouinciales, si quae sunt, conceperunt. Nunc autem aliis relinquo iudicandum, vtrumne forte eiusmodi leges prouinciales ex fontibus integritati suae donatis & restitutis sint potius explicandae, an erronea interpretatio sequenda?

§. XL.

Concludamus tandem & contrahamus vela. Donatio vel est speciei, vel generis vel mixta (§. 5.). Speciei duplici forma contingere potest, vel quia donatio initium sumsit a traditione, vel quia species promissa est, subito haud facta traditione (Cor. 3. ad §. 3.). In vtroque casu euictionis praestatio exfulat de iure Romano & hodierno (§. 26.), nisi aut donator doli reus sit (§. 24.), aut stipulatus sit eam (§. 25.). In donatione generis, re tradita euicta, ad aliam rem dandam ius est agendi donatario, & ad id etiam quod interest, si donator sciens ad se non pertinere rem tradiderit, aut latae culpae reus sit (§. 27.). In donatione mixta donator, si tota vniuersitas est euicta, non praestat euictionem, nisi



nisi aut dolo egerit, aut promiserit euictionis prae-
stationem (§. 28.). Vno autem vel altero vniuersi-
tatis indiuiduo tantum euicto, ad indiuiduum aliud
ex illa vniuersitate substituendum, ius est agendi
donatario, & ad id etiam quod interest, si donator
mixtim talis, sciens ad se hoc indiuiduum traditum
non pertinere, illud tradiderit, aut culpa
latae reus existat (§. 28.).



Errata.

pag. 10. lin. 26. anstatt primas lineas, ad meliorem intellectum, lege:
ad meliorem intellectum primas lineas,
pag. 17. lin. 10. post GALVANVM & VINNIVM.

III. Die Kunst des Buchens

Die Kunst des Buchens ist eine der ältesten und wichtigsten Künste der Menschheit. Sie hat sich im Laufe der Jahrhunderte entwickelt und ist heute eine hochentwickelte Wissenschaft. Die Buchkunst umfasst die Herstellung von Büchern, die Gestaltung der Buchform und die Pflege der Buchsammlungen. Die Kunst des Buchens ist eine Kunst der Geduld und der Präzision. Sie erfordert viel Zeit und Mühe, um ein gutes Buch herzustellen. Die Kunst des Buchens ist eine Kunst der Schönheit und der Harmonie. Sie erfordert viel Kreativität und Phantasie, um ein schönes Buch herzustellen. Die Kunst des Buchens ist eine Kunst der Wissenschaft und der Technik. Sie erfordert viel Wissen und Erfahrung, um ein gutes Buch herzustellen.

WC



2
=

Faint, illegible handwriting, possibly a name or title.





He 2665^α

ULB Halle

007 369 697


3



1078







7
978

D. IO. CHRISTOPHORI KOCH.

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE PROCANCELLAR. ANTECESS. IVR. PRIM.
ET COM. PAL. CAES. Jan 1754

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

EVICTIONE IN DONATIONE NON INDISTINCTE PRAESTANDA



Editio secunda.

GISSAE,

apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.

C1510CCLXXIV.